Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

unum tu cecidisti. Gaudete mecum, quia regnat in nobis regina virtutum. Contemptus mundi regna celorum accepit. Renuntiatio parentum consortium sumpsit angelorum. Parvi temporis tribulatio eternam invenit leticiam, et humilitas sicut cedrus Lybani, et sicut cypressus in montibus Hermon. Devicta libidine castitas, fecunditas sola est de inimicis nostris laudata, que parientes animas retinet. Omnes ille potestates erubescent, quia nichil suum cognoscent in nobis. Hec cum gaudio dicens, cepit vineam domini rore iusticie maturatam recondere. Itaque sic divina providentia adimplevit, ut infra tempus prenuntiatum omnes migrarent ad dominum. Beata vero Basilissa secura de reposito thesauro, hora VI in oratione constituta soporata est. Et vidit multitudinem virginum circiter mille, que niveis vestibus indute, regalibus zonis cincte, crucem domini in manibus gestantes, ad Basilissam dixerunt: Hoc responsum accepimus: ecce expectamus te, ut tu nos offeras Christo. Et evigilans Basilissa, partus sui gloria letabatur. Hec referens sancto Iuliano, simul gaudebat in domino. Ita completum est, ut constitutis illis in oratione beata Basilissa migraret ad dominum. Quam tradidit sanctus Iulianus sepulture dignissime, die noctuque memorie eius excubias spiritales adimplens. Sanctus vero Iulianus florebat in domino gratia domini concessa, ut nullus esset inferior, qui non alterum precederet in virtutibus. Nullius iracundiam ibi sol invenit aut reliquit ut assolet; si quis spiritum in verbo ledebatur ab aliquo, non accipiebat cibum, sed humilitati et fletui insistentes quisque caritatem retinebant. Letabatur pater in hoc studio filiorum, tunc se unusquisque dicebat incipere quando finiebat. Hec agebantur in civitate Alexandria, que est metropolis Egypti. Passio vero beati Iuliani ante plenius descripta est VIII idus ianuarii.

IIII id. C Ian.

Pauli primi heremite.

Inter multos sepe dubium est a quo potissimum monachorum heremus habitari cepit. Quidam enim altius repetentes a beato Helia et Iohanne principia sumpserunt, quorum et Helias plus nobis videtur fuisse quam monachus, et Iohannes ante cepisse prophetare quam natus esset. Alii autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi caput, quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero et Macharius discipuli beati Antonii, e quibus superior corpus magistri sepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebeum principem rei istius fuisse, nichilominus quam opinionem nos probamus. Nonnulli et hec et alia prout voluntas tulit iactitant, subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem, et multa que subsequi ociosum est incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur. Igitur quia de Antonio tam greco quam romano stilo diligenter memorie traditum est, pauca de Pauli principio et fine scribere disposui, magis quia res omissa erat quam fretus ingenio. Quomodo autem in media etate vixerit, aut quas satane pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur. Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Rome, Cyprianus Kartagine felici cruore dampnati sunt, multas apud Egyptum et Thebaidam ecclesias tempestas seva populata est. Voti tunc christianis erat pro nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas querebat iugulare, non corpora, ut et ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait: volentibus mori non permittebatur occidi. Cuius ut crudelitas notior fiat, duo memorie causa exempla subiecimus. Perseverantem in fide martyrem et inter aculeos laminasque victorem iussit melle perungi, et sub ardentissimo sole religatis post tergum manibus reponi, scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium iuvenili etate florentem in amenissimos hortulos precepit abduci, ibique inter candentia lilia et rubentes rosas, cum leni iuxta murmure serperet rivulus, et molli sibilo arborum folia ventus stringeret, super structum plumis lectulum resupinari iussit, et ne se inde posset excutere, blandis sertorum nexibus irretitum relinqui. Quo cum recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, cepit delicatis stringere colla complexibus, et quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia, ut corpori in libidinem concitato se victrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi et quo se converteret? Quem tormenta non vicerant, superabat abhominata voluptas. Tandem celitus inspiratus precisam mordicus linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedentis doloris magnitudo preripuit. Per idem ergo tempus quo talia gerebantur, apud inferiorem Thebaidam, cum sorore iam viro tradita, morte amborum parentum in hereditate locupleti Paulus relictus esset annorum circiter XVI, litteris tam grecis quam egyptiacis ad plenum eruditus, mansueti animi, deum valde amans, et dum persecutionis detonaret procella, in villa remotiore secretior erat. Verum quid pectora humana non cogis auri sacra fames? Sororis maritus cepit prodere velle quem celare debuerat. Non illum ut assolet uxoris lacrime, non communio sanguinis, non deus cuncta ex alto prospiciens revocaverunt a scelere. Aderat, instabat, crudelitate quasi pietate utebatur. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugit, dumque persecutionis finem prestolatur, necessitatem in voluntatem vertit. Ac paulatim recedens, rursusque subsistens, atque idem sepius faciens, repperit saxeum montem, ad cuius radices non grandis spelunca lapide claudebatur. Quo remoto, ut est cupiditas hominum, avidius occulta cognoscere, animadvertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper celo patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens, tantummodo foras eadem continuo que genuerat terra sorbebat. Erant preterea per exesum montem non pauca habitacula, in quibus fabrice incudes et mallei quibus pecunia furtiva signabatur videbantur. Hunc locum Egyptiorum littere ferunt furtivam monete officinam fuisse ea tempestate qua Cleopatre iunctus Antonius est. Igitur adamato quasi a deo sibi offerretur habitaculo, omnem ibidem in orationibus et solitudine duxit etatem. Cibum et vestimentum palma prebebat. Quod ne cui impossibile videatur, Ihesum testor et sanctos angelos eius, in ea parte heremi que iuxta Syriam Sarracenis iungitur, et vidisse me monachos et videre. E quibus

28